

nus coordinata, et continuata, et respective se habentia ad ultimam perseverantiam effectus sunt prædestinationis, licet non sub præcisione suæ substantiæ, et ut absoluta ab omni isto respectu. Similiter etiam quatenus possunt conducere ad gaudium accidentale in cœlo, et quatenus ex illis sumi potest occasio humilitatis, pœnitentiæ, aut excitationis ad particularem Dei laudem et amorem secundum quod in memoriam revocantur, et ad istos effectus conducunt. Nec solum hoc habent ut reparata, si ly ut dicat rationem formalem: secundum se enim conducunt ad gloriam, et beneficium Dei sunt; bene tamen si ly ut dicat conditionem necessariam, quia sine isto respectu ad perseverantiam, ad reparationem, et revocationem in memoriam non conducunt.

XII. Ad exempla allata jam respondimus in instantiis adductis. Ad illud quod dicitur non esse eandem numero gratiam quæ reparatur, et quæ ante erat, respondetur non esse eandem physice, et entitative, bene tamen moraliter, et æquivalenter, et in ordine ad eandem numero gloriam, quæ datur propter illum gradum gratiæ, quæ antea erat, et modo reparatur: licet enim amissa gratia, postea succedat alia entitative distincta, eandem tamen gloriam respicit; et sic censetur eadem numero gratia formaliter, licet materialiter una entitas succedat alii, sicut est idem locus numero propter eandem correspondentiam ad eandem distantiam, et polos, vel puncta fixa, licet superficies materialiter diversæ transeat, et varientur in eodem ubi, seu distantia. Ad illud vero de reviviscencia meritum et gratia in minori gradu, quam fuerat a principio, jam respondimus, quomodo gratia reviviscit, juxta dispositionem, quam ali-

quis habet: vel in hac vita, vel in futura secundum varias opiniones, vel ad minus valet quoad gaudium accidentale, si non reviviscat aliqua quoad essentielle præmium, et sic tandem ad vitam æternam et cœleste præmium potest conducere, quod sufficit ut sit effectus prædestinationis. Et cum dicitur quod solum prodest in quantum reparata, jam sæpe diximus quod in hoc verbo latet æquivocatio, quia ly ut potest reduplicare vel conditionem requisitam, vel rationem formalem: sicut enim cum dicimus quod ignis non calefacit, nisi ut applicatus, et quod non calefacit nisi ut calidus, in primo reduplicatur conditio, et in secundo ratio formalis, ita gratia, quæ primo collata est, si amittitur, non valet nisi ut reparata, neque absolute valet, nisi ut finaliter perseverans, non tamen ita quod totus valor, et ratio formalis ad gloriam sit ipsa perseverantia aut reparatio, cum etiam pro gradu illo, et primo collato correspondeat suus gradus in gloria, et non pro sola reparatione aut perseverantia, sed tamen illemet primus gradus indiget reparatione et perseverantia ut conditione sine qua non consequetur ille valor efficaciter gloriam. Et similiter vocatio inefficax in se habet unde sit beneficium Dei gratuitum et supernaturale, quod possit excitare ad Dei laudem, et amorem, vel ad humilitatem et dolorem pro ejus frustratione, sed tamen nisi in memoriam revocetur, nihil de facto operabitur tamquam propter conditionem requisitam.

XIII. Ad secundum fundamentum patet ex dictis, quomodo vocatio inefficax per se, et ratione sui conducit tamquam ex motivo, et ratione formali excitativa ad bonum, per accidens autem et ratione alterius tamquam ex conditione requisita ut in memoriam revocetur, et

sic applicetur ad movendum, quæ quidem recordatio est ex inspiratione efficaci in ordine ad revocandum in memoriam vocationem illam inefficacem, sed motivum et formalis ratio excitativa doloris aut humilitatis, vel laudis Dei, non est ipse actus recordationis, sed res illa quæ in memoriam recordatur, seu ipsa vocatio inefficax: et quod hoc illud auxilium efficax revocativum in memoriam se habet ut conditio respectu motivi quod est ipsa res vocata, scilicet vocatio inefficax. Quod si in hac vita non recordetur illius vocationis inefficacis in particulari, saltem poterit recordari omnium in communi, vel saltem in alia vita recordabitur, ut inde excitetur ad laudem Dei et gaudium accidentale. Et cum dicitur quod hoc modo etiam peccatum in memoriam revocatum poterit operari ad salutem, et ad pœnitentiam, distinguo; per se ut beneficium collatum a Deo, et tendens ad gloriam, nego; per accidens ut materia detestanda et relinquenda, transeat: sed tunc non operatur et conducit ad gloriam ipsum peccatum, sed detestatio ejus, vel permissio, ut infra dicitur articulo ultimo. Ad aliam probationem quod inefficaces vocationes non possunt procedere ex intentione efficaci dandi gloriam, respondetur quod inefficaces vocatione, quatenus inefficaces sunt respectu proprii et immediati effectus quo frustrantur, non procedunt ex efficaci intentione dandi gloriam: sub illa enim formalitate potius ei repugnant; quatenus vero ordinantur extrinsece ad alium finem, seu ad alios effectus, etiam ad prædestinationem pertinentes, sic possunt et sunt effectus prædestinationis: nec superflue, sed valde prudenter intendens efficaciter aliquem finem erogat aliqua media frustrabilia suo effectu, ut sub alia formalitate ex-

trinseca ordinentur ad finem illum, licet ab intrinseco, suo proprio et debito effectu frustrentur, id enim convenit ut homini ostendatur infirmitas sua, contingentia, inconstantia, ingratitude, etc. et ut sic magis ad interiora reformetur et trahatur.

Ad loca Augustini respondetur docere in illis Augustinum quod prædestinati, prout sic, et formaliter loquendo non vocantur vocatione inefficaci sistendo ibi, quasi illa sit propria prædestinatorum, sed vocantur vocatione efficaci, et secundum propositum per se loquendo. Si autem aliqua inefficax vocatio illis detur, illa etiam ut ordinata ad aliquam efficacem potest esse effectus prædestinationis, et sic illa vocatio inefficax etiam est secundum propositum, non quidem ex suo intrinseco, et ut respiciens proprium effectum, quo caret, sed ut ad aliquem extrinsecum effectum ordinata, qua ordinatione tamquam conditione requisita posita, de se dat motivum sortiendi effectum, ut explicatum est.

ARTICULUS IV.

An bonus usus liberi arbitrii, ut teneat se ex parte nostra, sit effectus prædestinationis?

I. Multa sunt in mediis quibus prædestinatio nostra disponitur, quæ a solo Deo fiunt, ut prima vocatio, infusio habitualis gratiæ, collatio gloriæ; alia quæ nobis etiam influentibus, et cooperantibus fiunt, ut sunt opera omnia bona, et meritorii actus, et consensus liber, qui Deo vocanti adhibetur. De primo genere mediorum non est dubium a prædestinatione divina procedere, cum a solo Deo supernaturaliter, et specialiter operante fiant. De secundo, etiam pro ea parte qua a Deo

supernaturaliter influente illa opera procedunt, constat a prædestinatione divina esse. Sed difficultas est pro ea parte qua a nostro libero arbitrio exeunt, an etiam prout sic dependeant a Dei prædestinatione, ita ut effectus ejus esse possint. Nec est dubium aut controversia ulla de ipsa ratione formali agendi ex parte ipsorum agentium, quia cum creatura, et Deus in eodem effectum, seu actione sub diverso modo, et sub diversa ratione formali procedant, non potest esse aliqua difficultas, quod prout est a creatura, non sit a Deo, quantum est ex parte rationis formalis, id est, quod ratio formalis qua agit creatura, non sit ratio formalis, qua agit, et influit Deus; sed difficultas est an ipse influxus, et actio qua procedit a creatura, licet sub distincta ratione formali procedat, si tamen effectus Dei, et procedat ab ipso Deo ut a causa superiori, et consequenter sub alia ratione formali, quia sub ratione superiori, et distincta. Itaque quod inquirimus est, an id quod procedit a creatura sub ratione formali creata, et sibi propria, sit effectus Dei ut prædestinantis sub ratione formali increata, atque adeo diversa a formali ratione agendi creata precedentis.

II. Et advertendum est, quod quando inquirimus, an iste bonus usus, ut tenet se ex parte liberi arbitrii nostri, et sub ratione formali creata procedit, sit effectus prædestinationis Dei, non est necesse distinguere de concursu concomitante, vel antecedente, indifferenti, vel determinato, physico vel morali, etc. Supponimus omnes istas distinctiones ex parte divinæ operationis, et influentiæ, sicut etiam supponimus ex parte nostri liberi arbitrii influentiam physicam in opus supernaturale, licet procedat ab illo ut elevato, ita quod ly ut non dicat partiali-

tatem virtutis, sed totalitatem rationis formalis influendi in supernaturalem actum, ut late expendimus, et tractavimus præcedenti tomo, disp. xiv. Sufficit ergo pro præsentis difficultate expendere an ille bonus usus sub ea ratione, qua est a nobis sit a providentia Dei præparatus ea præparatione, et modo, quo res a Deo provisæ procedunt ab ejus providentia, scilicet sic præparando, et ex fine operando, quod etiam causet ut efficiens: nihil enim Deus providet, quod non causet.

III. In hac ergo parte notissima est sententia p. Molinæ hic q. xxiii, art. v, disp. i, membro x, ubi etsi actibus supernaturalibus tribuat quod sint effectus prædestinationis, non tamen quatenus a libero arbitrio sunt: hoc enim apud Molinam per innatam suam virtutem influit proxime in actum supernaturalem: imo juxta ipsius explicationem in concordia xiv, disp. xxxvii, Deus solum influit in hos actus universali concursu indifferenti ad hoc, vel illud, v. g. ad credendum, vel discrendum, assentiendum vel dissentendum; ex nostra autem voluntate determinatur ille concursus tamquam a causa particulari, ut sit potius actus credendi, quam non credendi, et ex præveniente Dei gratia, et simul influente cum libero arbitrio habere actum illum quod sit supernaturalis. In quam sententiam non videntur posse non ire qui sentiunt gratiam reddi efficacem vel inefficacem ex consensu nostro præviso, non ex efficaci decreto, seu voluntate Dei; atque adeo ex natura sua, quæ in divina voluntatis influentia, seu ministerio ipsi deservienti consistit.

Sensum hunc Molinæ satis ex se patentem non tam explicare quam complicare nobis aliqui volunt, ut p. Alarcon hic tract. iv, disp. iv, c. vi, qui fatetur quidem aliquando

Molinam docuisse actiones liberi arbitrii supernaturales, quatenus sunt a libero arbitrio, non esse effectus prædestinationis, sed sensum ejus esse loqui formaliter reduplicative, quia procedere a libero arbitrio formaliter non est procedere a prædestinatione, quod verum est, quia licet sit eadem actio, quæ procedit ab arbitrio, et a gratia, est tamen diversum connotatum, et ab utroque procedit sub diversa ratione formali, licet sit idem effectus. Sed si iste est Molinæ sensus, levissime in tam seria quæstione loquitur, et difficultatem ejus non solvit, sed eludit. Nec enim apud aliquam mentem est difficultas, quod actus procedens a Deo, et a libero arbitrio, non eadem ratione procedat a Deo, et libero arbitrio creato, cum ab illo procedat sub ratione causæ universalissimæ, et supremæ, et modo universalissimo operante, ab isto vero, ut a causa creata, et particulari. Quis enim dubitare potest, quod quando concurrat ad unum effectum Deus, et causa creata, causa superior, et inferior, alio modo, et sub alia ratione concurrat causa superiora seu superior, quam inferior, et quod modus procedendi unius, et alterius ex parte agentis, seu modi agendi non est unus, et idem? Sed difficultas est, an iste modus agendi, et influxus causæ inferioris ita subordinetur causæ superiori, ut effectus illius sit, et ab ejus speciali providentia, et supernaturali concursu, seu gratia derivatus; licet etiam concomitanter cum illo ad suum effectum, et terminum concurrat Deus, et influat.

IV. Communis ergo sententia contra Molinam tenet bonum usum liberi arbitrii etiam prout ipsi libero arbitrio, et modo ejus causandi correspondet, esse effectum prædestinationis, quia est a gratia, et ex speciali beneficio Dei, non solum quod

vocetur homo, sed quod respondeat, et consentiat, hic et nunc. Sed quia solum datur duplex influxus et efficientia Dei, scilicet simultaneus cum ipsa causa creata in effectum, et antecedens qui moveat, et applicet ipsam causam ad operandum, ratione primi influxus præcise, non potest dici quod bonus usus, et efficientia, seu influxus liberi arbitrii sit effectus gratiæ, et prædestinationis, quia concursus concomitans non est causa concursus simultanei a nobis precedentis, eo quod non antecedit ut causa, neque influit in illum, sed cum illo influit in effectum; alias si esset causa illius, non concomitaretur, sed antecederet illum in quantum causa. Restat ergo quod si iste influxus, et bonus usus liberi arbitrii est effectus prædestinationis et gratiæ Dei, hoc verificetur ratione alicujus gratiæ prævenientis. Et tunc est duplex opinio secundum diversos modos sentiendi de gratia præveniente: quidam enim dicunt nostrum consensum, et bonum usum esse effectum gratiæ, et prædestinationis ratione moralis alligentia, et influxus, secundum quod per gratiam excitantem movetur voluntas, in vitando, excitando, vires etiam præbendo, et adjuvando. Alii dicunt quod etiam physice in voluntatem influendo, et determinando. Primam viam sequuntur qui ponunt efficaciam divinæ voluntatis, et gratiæ a nostro consensu desumi; et sic intelligi quod bonus usus nostri arbitrii sit effectus prædestinationis docet cum aliis suæ sententiæ Alarcon ubi supra. Secundam, qui ex ipsa natura decreti, et gratiæ, quæ ex tali voluntate derivatur, desumunt efficaciam, et consensum ipsum talis efficaciam faciunt effectum. In his ergo divisionibus opinionum nunc non oportet immorari, nos enim utrumque modum causandi nostrum consensum,

et usum ut a libero arbitrio est, Deo concedimus, scilicet moralem per excitationem in bonis actibus, et effectivum per adjuvantem gratiam, et deinde simultaneum, qui non causat consensum, aut præparat cor, nec ex nolente facit volentem, sed cum volente, et præparato, et jam influente simul concurrat, et confluit. In quantum ergo influxus nostri arbitrii pendet ex gratia præveniente, et adjuvante, dicitur esse effectus prædestinationis, sicut est gratiæ: prædestinatio enim, gratiæ est præparatio.

Quod ergo usus nostri liberi arbitrii in actibus supernaturalibus etiam ut ex nostro procedit arbitrio sit effectus prædestinationis, docet S. Thomas in hac quæstione xxiii, art. v, in corpore, ubi reprobatur aliquorum positionem, qui distinguebant inter id quod est ex gratia, et ex libero arbitrio, quasi non possit idem esse ex utroque, et ita concludit quod bonus usus liberi arbitrii est ex prædestinatione. Et q. vii de verit. art. ii ad 1, docet quod: « Hoc ipsum quod est velle accipere gratiam, est in nobis ex prædestinatione. » Et super epistolam ad Hebræos, c. xii, lect. iii, circa illa verba: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, inquit: « Quod hoc ipsum quod est non ponere obstaculum gratiæ, ex gratia procedit. Unde si aliquis ponat, et tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam. » Sentit ergo aperte D. Thomas quod quidquid ex parte liberi arbitrii se tenet, etiam ipsum non ponere obstaculum, et ipsum velle recipere gratiam, est effectus gratiæ, et prædestinationis. Concordat Augustinus multis in locis. Videri potest libro de prædestinatione sanctorum, c. viii, ubi inquit: « Hæc gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tri-

buitur, a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. » Ipsum ergo non respuere, seu non resistere et ipsum admittere gratiam, effectus est gratiæ, atque adeo prædestinationis: hoc autem est id quod se tenet ex parte liberi arbitrii, scilicet consentire, non respuere, non resistere. Denique fieri ex nolente volentem, maxime pertinet ab bonum usum liberi arbitrii, et tamen hoc ipsum docet Augustinus esse effectum gratiæ, et operationis divinæ, inquit enim libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. xix, in fine: « Trahitur miris modis ab illo qui novit intus in ipsis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. » Unde deducitur argumentum, quod in D. Augustino negari non potest: bonus usus liberi arbitrii, et consensus ipse ad gratiam Dei non potest procedere ex libero arbitrio ut nolente: sic enim non consentiret, sed dissentiret: fit ergo ex libero arbitrio ut volente, sed fieri volentem ex nolente est effectus gratiæ, et operationis divinæ intus in corde operantis, ut dicit Augustinus; ergo est effectus prædestinationis, idem enim est effectum esse gratiæ, atque effectum esse prædestinationis. Et sic in libro primo retractationum, c. ix, circa finem concludit Augustinus: « Quia omnia bona sicut dictum est, et magna, et media, et infima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit et bonus usus liberæ voluntatis, quæ virtus est, et in magnis numeratur bonis. » Sæpe etiam Augustinus docet non ita tribui Deo operationes nostras, ut pars debeat tribui Deo, et pars nobis, sed totum Deo, quia, ut dicebat Cyprianus: « In nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit. » Videatur Augustinus libro de præ-

destinatione sanctorum, c. ii, et in aliis capitibus sequentibus. Videatur S. Hieronymus lib. i dialogi contra Pelagianos: « Velle, inquit, et credere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum. » S. Bernardus libro de gratia et libero arbitrio: « Ut simul, non vicissim per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragant, totum quidem hoc, et totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa. » Igitur ipse bonus usus liberi arbitrii, etiam quatenus meus, est ex gratia, non partim a me, partim a gratia, ita quod pro ea parte, qua est a me, non sit effectus gratiæ, seu prædestinationis; alioquin non diceretur esse solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis: sicut enim argumentatur Augustinus in enchiridio, c. xxxii: « Si ideo non est hominis volentis, quia sola hominis voluntas non potest, nisi etiam adsit misericordia Dei: ergo etiam non erit miserentis Dei, quia sola misericordia Dei non operatur sine voluntate nostra. Quod si nullus dicere audebit non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, restat ut propterea dictum intelligatur, non volentis est hominis, sed miserentis Dei, ut totum Deo detur. »

Fundamentum hujus sententiæ potest sumi vel specialiter pro hac materia prædestinationis, vel generaliter pro quocumque usu nostræ voluntatis cum gratia Dei, vel etiam generaliter pro quocumque usu, et cooperatione causæ creatæ cum concursu Dei etiam ordinis naturalis.

Primum fundamentum explicatur sic: quia ille bonus usus liberi arbitrii etiam prout a nobis est, conducit ad salutem, et præmiabitur in gloria: ergo est aliquid provisum efficaciter, et de facto a Deo in or-

dine ad effectum salutis: ergo est effectus prædestinationis. Hæc ultima consequentia est manifesta, cum idem sit esse provisum aliquid a speciali providentia suæ prædestinationis, et esse effectum illius, esse enim provisum, et prædestinatum, est esse effectum providentiæ. Prima vero consequentia etiam est constans; quidquid enim ad salutem, et ad gloriam æternam efficaciter conducit, efficaciter provisum est pro ille fine, et sic effectus est providentiæ illius efficacis, et specialis providentiæ æternæ, quæ prædestinatio est. Antecedens autem manifestum est, quia opera supernaturalia, et meritoria esse libera, et voluntaria maxime conducit ad hoc ut meritoria sint, cum sit conditio essentialiter requisita ad meritum, quod sit liberum, et voluntarium opus. Est autem liberum, et voluntarium in quantum est a voluntate nostra: ergo bonus usus voluntatis, ut a nostra voluntate est, conducit ad rationem meriti, et consequenter ad rationem salutis: ergo qui providet dari merita pro vita æterna, providere debet, ut actus illi sint liberi. Eodem etiam modo præmiabitur illud opus bonum in quantum voluntarium, et laboriosum, et liberum, quia licet valor meriti sit ex gratia, tamen esse humanum, et liberum attenditur in ratione præmiandi, quia si sine his conditionibus non habetur meritum: ergo si istas conditiones habeat, attendentur in præmio; et sic ille bonus usus, quatenus a nostro libero arbitrio est, in præmio æternæ gloriæ attendetur, et ab illo præmio præmiabitur: ergo illa omnia respiciunt æternam gloriam efficaciter, et ad illam ordinantur, licet non nisi adjuta a gratia: ergo sunt effectus prædestinationis, quæ sola est providentia ad gloriam efficaciter dirigens, et deducens.